

tur ex dictis, quod quando conceditur proprie prædestinata, debet intelligi ad unionem; si vero intelligatur ad filiationem, vel beatitudinem est improprie prædestinata; absolute vero sine aliquo addito potius videtur impropria, quam propria, quia absolute non est prædestinata, sed solum est comprædestinata.

XLVIII. Dices: Aliud extremum, scilicet, Filius non dicitur prædestinatus ad unionem cum humanitate; ergo neque humanitas dicitur prædestinata cum Filio. Patet consequentia, quia humanitas, et Filius sunt extrema in hac unione.

XLIX. Respondetur, quod ut dictum est ad tertium quantum ad primam, et secundam conditionem: ideo hæc est falsa; Filius prædestinatur ad unionem, quia in Filio Dei non est inferioritas, nec posterioritas respectu prædestinationis, et ideo debet poni additum ratione cujus utraque conditio verificetur, ut si dicamus: Filius Dei prædestinatur esse homo, ut dictum est in prima conclusione, tamen humanitas secundum se sumpta potest habere inferioritatem, et posterioritatem respectu prædestinationis, et ideo potest dici prædestinata ad unionem. Quod expresse docet S. Thomas in tertio ad Annibaldum, dist. x, quæstione unica, art. v, in corpore ubi inquit: « Prædestinari est ad gratiam præparari, præparari vero ad gratiam unionis convenit naturæ, quæ est unita. Personæ autem non convenit secundum se, sed in quantum est suppositum humanæ naturæ. » In quibus verbis conceditur ista: Humanitas prædestinatur ad unionem, et negatur ista: Filius prædestinatur in eodem sensu, et conceditur ista: Filius in quantum suppositum humanæ naturæ prædestinatur.

L. Sexto, arguitur contra ter-

tiam conclusionem: In prædestinatione alicujus termini debet assignari subjectum respectu talis termini, quia prædestinatio est ordinatio unius ad aliud; sed respectu hujus termini qui est, hoc compositum: Deum esse hominem, non est subjectum, sed potius ipsum compositum est subjectum prædestinationis Christi ad filiationem, vel gloriam; ergo hoc compositum non est terminus, seu objectum prædestinationis.

LI. Respondetur, quod quando aliquid prædestinatur ut subjectum alicujus termini ad quem, ex vi prædestinationis ordinatur, quamvis posset dici, quod prædestinatio terminatur ad ipsum subjectum, non est necesse, quod respectu illius assignetur aliud subjectum, quia non est intentus a prædestinatione ut terminus pure, et sic contingit in præsentibus, hoc enim compositum Christus taliter terminat prædestinationem, quod non est simpliciter terminus, sed terminus immediatus intentus, ut ordinandus ad alium terminum, ut docet S. Thomas in III, dist. x, quæst. III, quæstiuncula prima ad primum, ubi inquit: « Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem: » et statim: « Filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed sequitur ad unionem. » Præterquam quod posset dici, quod ipsa extrema unita in Christo ex vi prædestinationis, scilicet Persona, et humanitas, quælibet suo modo, sicut dicuntur prædestinari, ut fiat homo juxta dicta in præcedentibus, et ad id ordinari, possunt dici in fieri considerata quasi subjectum comparative ad prædestinationem compositi in facto esse; sicut in generatione hominis dicuntur partes ex quibus homo resultat, quasi terminus a quo respectu compositi in facto esse.

LII. Ultimo, arguitur contra quartam conclusionem, et ejus censuram. Fundamentum conclusionis sunt verba Pauli ad Romanos I: *Qui prædestinatus est Filius Dei*, sed ex vi hujus auctoritatis nulla prædestinatio admittitur in Christo; ergo nec conclusio, neque censura ibi posita est admittenda. Probat minor dupliciter: primo, quia etiamsi admittatur participium prædestinatus, potest intelligi pro eo quod manifestatus, juxta consuetudinem sacre Scripturæ, in quo sensu glossa ad Romanos I explicat participium prædestinatus, ut adducit S. Thomas in III, dist. VII, quæst. III, art. II, quæstiuncula II, in corpore, et hic articulo primo ad tertium.

LIII. Secundo, quia in textu Græco loco illius termini prædestinatus, ponitur alius terminus, qui correspondet Latine huic participio prædefinitus, et ly diffinitus duas habet significationes principales. Prima est idem ac statuere, ac determinare: secunda est, declarare, seu manifestare, propter quod dicunt dialectici, quod diffinitio est: Oratio naturam rei, aut termini significationem exponens, et locum illum patres Græci intelligunt in secunda significatione, quæ est idem quod declarare, Chrysostomus ibidem homilia I, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus libro de fide ad reginas, Damascenus libro IV de fide, cap. XIX, Erasmus in annotationibus. Et ratio est, quia ista significatio est magis usitata in lingua Græca, et quia facilius solvit, vel vitat difficultatem maximam prædestinationis Christi.

LIV. Respondetur illam expositionem in primo sensu adduci a S. Thoma in illis locis, et illam non sequitur, sed rejicit hic art. I ad tertium: « Sic non proprie prædestinatio accipitur, nam aliquis dicitur proprie prædestinari secundum

quod dirigitur in finem beatitudinis; beatitudo autem Christi non dependet ex nostra cognitione, et ideo melius dicendum est. » Hæc S. Thomas. Quoad alium sensum respondetur cum Lorca hic disput. LXXXV, membro I, numero IV, quod licet locus ille habeat illam expositionem, etiam habet nostram, quia vulgata transtulit verbum Græcum non in significatione declarandi, sed determinandi, vel statuendi, et sic posuit verbum prædestino, quod cum proprietate solum significat prædeterminationem, vel præordinationem, et vulgata debet admitti tamquam vere sacra Scriptura ex decreto Tridentini. Et non est inconveniens, quod unus locus habeat duplicem sensum, et in præsentibus uterque iste sensus potuit esse intentus a Paulo, comprehensus in verbo Græco, scilicet, et quod Christus sit prædestinatus, et quod sit declaratus Filius Dei, et sic debet nostra expositio admitti, et illam negare non excusatur a censura, in eo gradu certitudinis, quo ex textu vulgatæ Latinæ sequitur veritas conclusionis.

LV. Vel secundo posset dici, quod quamvis non admitteretur sensus ille verbi in Græco positi, non poterat negari textus vulgatæ, sed dicendum erat quod, quia vulgata transcripsit non in significatione statuendi, vel determinandi per verbum prædestino, iste sensus debebat admitti tamquam legitimus Pauli in illo loco.

#### ARTICULUS II.

*Utrum Christus absolute, vel in quantum homo, sit proprie prædestinatus Filius Dei?*

I. Supposito quod Christus sit prædestinatus quantum ad esse



Christi, hoc est, quantum ad primam rationem unionis hypostaticæ sequitur modo investigare, si tale compositum prædestinetur ad aliquem terminum. Et quia duplex terminus excogitari potest, unus accidentalis, qui est gratia, et gloria ad quam alii homines, et Angeli electi prædestinantur: alius est substantialis, et ex ipsa filiatio naturalis Dei, de utroque disputandum est; et primo de filiatione tamquam de priori, et principali termino, utpote substantiali, et pertinente ad ordinem hypostaticum, de quo in hoc, et articulo sequenti agendum est. Et quantum ad præsens duplex punctum tangitur necessario discutendum. Primum, an Christus prædestinetur ad filiationem absolute; et an talis prædestinatio sit propria, vel impropria: secundum, ratione cujus competat Christo hæc prædestinatio, scilicet, an ratione suppositi, vel humanitatis, quod explicatur in illa reduplicatione posita in titulo, in quantum homo, quam ponit S. Thomas hic articulo secundo.

II. Circa quod duplex extremum quasi capitale reperitur. Primum negat prædestinationem propriam in Christo respectu filiationis naturalis; aliud affirmat. Extremum negans varias comprehendit sententias secundum diversas expositiones Apostoli: *Qui prædestinatus est Filius Dei*, quia cum tota hæc controversia ex istis verbis oriatur secundum diversas expositiones, seu explicationes Apostoli, diversificantur sententiæ, quas ad longum adducunt Lorca, Suarez, et alii. Breviter tamen nos illas recompilabimus, quia sine illarum notitia difficile penetrabitur punctum disputationis. Reducuntur igitur omnes expositiones ex isto extremo ad sex, et illæ ad tria capita. Primum, ratione subjecti, scilicet Christus: secundum,

ratione termini, scilicet Filius: tertium, ratione modi, quo Filius terminat, et in quolibet illorum duæ sunt sententiæ, et explicationes Apostoli.

III. Igitur prima explicatio refert prædestinationem Christi in verbis Apostoli ad humanitatem, non ad Christum. Hæc explicatio articulo præcedenti impugnata est ad quartum cum S. Thoma. Licet enim humanitas prædestinetur ad unionem, et sit quasi subjectum partiale prædestinationis ad esse Christum, ut dictum fuit ad sextum, tamen falsum est, quod humanitas sit subjectum ad filiationem naturalem, et sic est extorta expositio Apostoli, quia facit ejus locutionem impropria, ut late diximus loco citato ad quartum.

IV. Secunda explicatio est, excludendo significationem termini prædestinatus, et quod sensus est declaratus Filius Dei, juxta duplicem sensum allatum articulo præcedenti in ultimo; vel quia sic solet interpretari Scriptura fieri pro manifestari, vel propter rigorem textus Græci. Hæc expositio est impugnata etiam ibi, propter auctoritatem vulgatæ Latinæ. Istæ duæ expositiones non ponunt in Christo rationem subjecti prædestinationis, neque ad filiationem naturalem, neque ad alium terminum, imo ad esse Christum.

V. Tertia explicatio ponit Christum prædestinatum, sed non ponit filiationem esse terminum. Sic Origenes citatur a S. Thoma hic articulo primo ad secundum, quamvis Suarez ex Cajetano illum referat, et dicat Cajetanum approbare sententiam Origenis; sed Cajetanus non approbat, sed non improbat, sicut nec S. Thomas, sed relinquit illam eligendo aliam. Sensus ergo Origenis est, quasi dicat Apostolus: *Qui prædestinatus est*, tamquam si di-

xisset: Qui omnipotens, etc. et Filius Dei, est quasi sensus identicus, quod Christus est prædestinatus; et Christus est Filius Dei, quod est verum; tamen deficit quod non posuit hujus prædestinationis Christi terminum esse Filium Dei, quod ad intelligentiam veram, et rigorosam Apostoli debebat dici.

VI. Quarta explicatio ponit quidem Christum prædestinatum, sed non ponit terminum filiationem, sed virtutem ad patranda miracula propter id, quod addit Apostolus. *Filius Dei in virtute*, id est, ad habendam virtutem, ut patraret miracula tamquam Filius Dei. Hanc habet Augustinus in expositione inchoata epistolæ ad Romanos, et Titelmanus in eadem epistolam collatione prima, et Cajetanus ibidem ad verba Apostoli, et Cyrillus lib. I ad reginas. Hanc explicationem adducit S. Thomas, et Suarez inquit, quod est probabilis. Ad istam reducitur alia expositio, quod Christus est prædestinatus ad gratiam, etiam ut caput, et gloriam correspondentem illi, quia totum hoc est quid consecutum ad Filium Dei incarnatum. Hæc explicatio quatenus affirmat istum terminum accidentalem, non est contra nos, quia articulo quarto illum ponemus. Si tamen neget terminum substantialem, scilicet filiationem, esset contra nos; sed ejus auctores hoc non negant, sed solum affirmant unum, non negando alium. Et in aliis locis Augustinus et Cajetanus affirmant terminum, quem hic non negant. Istæ duæ explicationes positive non excludunt rationem termini in filiatione, sed solum negative non ponunt.

VII. Quinta explicatio ponit quidem Filium esse terminum, sed non in prima generatione Christi, sed in resurrectione, ubi filiatio homini restituta est, quia mortuo Christo

non mansit homo Filius, et resurgens resurrexit homo Filius; et quia in hoc sensu intelligitur Psalmus: *Ego hodie genui te*: et ad Ephes. I: *Primogenitus ex mortuis, et prædestinatus ex resurrectione*, Actor. XIII. Quam expositionem habet Hieronymus ad Romanos I, Anselmus et Augustinus loco citato. Hæc explicatio si solum sit, quod in resurrectione maxime manifestatus fuit Christus Filius Dei, coincidit cum secunda; et sic in hoc sensu adducit secundam S. Thomas in III, distinct. VII, quæst. III, art. II, quæstiuncula II, in corpore; sed sensus videtur esse distinctus in sanctis præallegatis, scilicet, non solum quoad manifestari, sed quoad esse, propter quorum auctoritatem intelligenda est hæc explicatio sicut præcedens, quod taliter affirmet, quod non neget; est quidem verum resumptionem per resurrectionem ex vi prædestinationis fuisse habitam, non tamen est verum, quod per primam generationem factam non fuisset ex vi prædestinationis, quod et sancti isti non negant, et Apostolus satis indicat in illis verbis præmissis: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, ubi loquitur de generatione Christi in principio incarnationis facta.

VIII. Sexta expositio est, quod Filius est quidem terminus prædestinationis, sed improprie, ut sensus sit, prædestinatum esse hunc hominem esse Filium Dei. Pro hac sententia solum refert Suarez, Durandum, et Paludanum, sed Vazquez disput. XCI, capite I ulterius adducit Marsilium, Gabrielem, Almainum, et Scotum in III, distinct. VII, quæstione unica, in quarta solutione ad primum. At vero Suarez adducit Scotum ibidem quæstione III, pro contraria sententia adducenda, et Vazquez in disputatione immediate præcedenti, capite



II, refert Scotum in eadem distinctione, quæst. III. Lorca hic disput. LXXXV, membro III, hanc sequetur sententiam, et numero XXVI intendit probare esse mentem S. Thomæ argumentis postea adducendis, sed sanctus doctor hanc sententiam refert, et rejicit, ut intra patebit.

IX. Extremum vere affirmativum et sententia capitalis est omnibus præcedentibus contraria, quod verba Apostoli sunt cum omni proprietate accipienda, ita quod quando dicitur: *Christus prædestinatus est Filius Dei*, subjectum prædestinationis est Christus, et terminus Filius Dei naturalis, et actio prædestinandi hoc subjectum ad illum terminum est propria prædestinatio. Hæc est ultima explicatio Apostoli, et vera sententia a nobis tenenda. Eam tenet Augustinus libro de bono perseverantiæ, capite ultimo, et tractatu CV in Joannem, et libro de prædestinatione sanctorum, cap. XV; S. Bernardus lib. V de consideratione circa finem; glossa interlinealis, Lyra, Carthusianus, Beda, Adamus, et S. Thomas ad verba Pauli. Ex scholasticis magister sententiarum in III, dist. VII, Bonaventura, et S. Thomas ibidem, Richardus artic. I, quæst. III; Scotus quæst. III; Alensis III part. quæst. III; Marsilius quæst. VII, quos refert, et sequitur Suarez hic disput. I, sect. II: eam etiam tenent Vazquez hic, Cajetanus, Medina, Asturicensis, Cabrera, Nazarius, Alvarez locis citandis, articulo sequenti.

X. Hæc etiam sententia capitalis plures patitur explicationes, non jam circa verba Pauli, sed in modo intelligendi, seu explicandi sub qua formalitate, aut ratione Christus sit subjectum, et Filius terminus prædestinationis. Sed quia in hoc est tota difficultas prædestinationis Christi Domini, ideo illud reservamus articulo sequenti, in præsentem

vero solum disputabimus contra adversarios non admittentes hanc explicationem explicando principia in quibus omnes auctores illam admittentes conveniunt.

XI. Pro cujus intelligentia notandum est ex S. Thoma, quod prædestinatio Christi in aliquo convenit, et in aliquo disconvenit cum prædestinatione aliorum. Convenit quidem ex parte prædestinantis, quia utrobique Deus est, et utraque prædestinatio est a tota Trinitate (ut dictum est articulo præcedenti ad secundum.) Etiam ex parte prædestinati est convenientia, quia in Christo etiam consideratur prædestinatio respectu gratiæ, et gloriæ, ad quam homines, et Angeli prædestinantur, sed differunt, quia gratia habitualis, et gloria est quasi terminus primarius prædestinationis illorum; in Christo vero est secundarius, quia datur alius terminus primarius, qui est filiatio, seu esse Filium Dei naturalem: « Et secundum hoc attenditur essentialis differentia inter prædestinationem Christi et nostram, quia differentia cujuslibet operationis attenditur penes terminum ad quem; illud autem ad quod est prædestinatio non est unius rationis in Christo, et in nobis, quia prædestinatio Christi est ad unionem in persona; prædestinatio autem nostra ad unionem per operationem, aut per habitum assimilantem; et hæc duæ uniones non sunt unus rationis, sed se habent secundum prius et posterius, et perfectum et diminutum, et ideo prædestinatio Christi et nostra non est unius rationis secundum univocationem, sed secundum analogiam. Hæc sanctus doctor in III, dist. X, quæst. III, quæstiuncula II, in corpore, et in præsentem articulo primo ad primum: « Quia alii prædestinantur filii adoptivi, Christus autem est Filius Dei naturalis, ita quodam sin-

gulari modo est prædestinatus. »

XII. Ex quo constat, quod quia proprius terminus prædestinationis Christi per quem plusquam specificè differt a nostra, si quidem analogicam solum, et non univocam convenientiam inter illas posuit S. Thomas, est esse Filium Dei naturalem, et in illo est identitas cum subjecto quia Christus est Filius Dei, ideo est difficultas in hoc puncto, in quo est æquivocatio in auctoribus oppositæ sententiæ, quia ponunt prædestinationem terminatam solum ad unionem humanitatis cum persona, non tamen posita hac unione intelligunt, quod possit ipse Christus prædestinari ad filiationem quod intendit Lorca cum auctoribus allatis pro opposita sententia in sexta explicatione. Tamen S. Thomas utrumque terminum posuit; de primo, quem ponit Lorca patet in locis a nobis allatis articulo præcedenti, conclusione III et IV, ex ipso adducendis in prima objectione.

XIII. De secundo termino patet, quod S. Thomas hic articulo primo ad secundum inquit, explicando illa verba Apostoli: « Cum prædixisset Apostolus, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, subjunxit: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, ut daret intelligere, quod secundum hoc quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam. » Ex quibus verbis hæc propositio colligitur, quod factus ex semine David secundum carnem, est subjectum quod prædestinatur Filius Dei. Et ibidem ad tertium inquit: « Melius dicendum, quod illa antecessio, quam importat hoc participium prædestinatus non refertur ad personam secundum seipsam, sed ratione humanæ naturæ, quæ scilicet persona illa, et si ab æterno

fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in humana natura fuerit Filius Dei. »

XIV. Et post pauca: « Et considerandum quod licet hoc participium prædestinatus, importat antecessionem, prædestinari autem pertinet ad aliquem secundum quod subest alicui formæ, vel naturæ secundum rem, potest apprehendi, vel ut est sub forma illa, vel etiam absoluto, et quia absolute non convenit Personæ Christi, quod inceperit esse Filius Dei, convenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, ut in natura humana existens (quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei) ideo hæc est vera: Christus est prædestinatus Filius Dei. » In quibus verbis ponit S. Thomas antecessionem requisitam ad prædestinationem, et illam verificat de Persona divina Verbi comparative ad filiationem, et non secundum se, sed ratione naturæ humanæ, scilicet, prout subsistens in natura humana, et prout sic subsistens inquit prædestinari Filius Dei, quatenus per apprehensionem sub illa formalitate: Ut subsistens in natura humana præintelligitur prædestinari Filius Dei.

XV. Et articulo secundo ad tertium inquit: « Potest dici, quod Filius hominis prædestinatus sit esse Filius Dei, » et statim: « Proprie potest dici, quod Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei. » Ecce ponitur ex parte subjecti prædestinationis Filius hominis, vel Christus secundum quod homo, et de isto proprie dicitur, est prædestinatus esse Filius Dei.

Ad has auctoritates respondet Lorca membro III, num. XX, quod S. Thomas reddit rationem sic: « Quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei; » ex qui-